

from *Quomodo Invidiosulus Nomine Grinchus Christi Natalem Abrogaverit*
by Terence and Jennifer Tunberg (1999 AD)

Itaque arborem prehensam in fumariolum infarciebat, cum subito parvulum audivit suspirium, quale palumbes aliquando solent emittere. Cito se retorsit et ecce! Adest Laetitia Laetula; puellula haud plus duos annos nata.

5 Cum e lecto surrexisset aquae pocillum gelidae quaesitum, invidiosulum nostrum negotiis nefandis occupatum offendit. Stupens illa, "Sancte," inquit, "quare, quaeso, rapis arborem festam?"

10 At Grinchus versutus et in fraude exercitatus mendacium protinus excogitavit. Nulla mora dixit lucernulam quandam in arbore natalicia positam accendi non posse; se ipsum et arborem et lucernulam ad officinam suam rapturum ubi lucernam reficeret; et postea se omnia resarta reportaturum.

Mentienti credidit puellula credula, cuius caput Grinchus perfidus permulsit. Postquam Laetitiae pocillum aqua plenum dedit, persuasit puellae ut cubitum rediret. Tunc ille ad fumariolum statim acceleravit per quod sursum arborem festam trusit!